



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Cap. 15. Circà sacrificium in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80513](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80513)

SECTIO SECVNDA.

De Missa Problemata.

CAPVT XV.

Circà sacrificium in communi.

PROBL. I.

*Sacrificia ab hominibus instituta vera sunt, & non sunt vera.*177
Vera sunt.

OTUIT Deus vt Princeps supremus reservare sibi sacrificiorum institutionem, & ita de facto reservavit tam in lege veteri, quam in noua. Quia tam Iudæis, quam Christianis certa sacrificia præscripsit, quibus coli vellent, vnde censetur, cetera prohibuisse: & conueniunt Doctores, hanc esse licitam, seu legitimam. Ceterum requisierim, an sint vera, seu valida? Vera sunt. Quia Deus non potest immutare rerum essentias: sed sacrificium ab hominibus institutum retinet veram sacrificij essentiam, cum hæc per se non requirat diuinam institutionem: Ergo, quamuis posita institutione diuina, reddatur illicitum, & illegitimum, adhuc est verum essentialiter sacrificium. Et quia sacrificia, quæ falsis diis offerebantur ab Ethnicis, habebant veram & essentialem sacrificij sumpti latius rationem, quam pro vero Religionis actu, licet sint Sacrilega: Ergo similiter sacrificium nunc ab hominibus institutum contra diuinam prohibitionem, quamuis illicitum sit, habebit veram, & essentialem sacrificij rationem. Sic Martinon *tom. 4. d. 3. n. 13. & 26. Et Vasq. d. 220. cap. 3. Less. lib. 2. c. 38. n. 20. & 28. Card. de Lugo d. 19. n. 13. dum asserunt, sacrificia ab Ethnicis adinuenta rationem sacrificij essentialem habuisse, videntur sententiam Martinonis confirmare.*

178
Vera non sunt.

Vera sacrificia non sunt. Quia Deus, eo ipso, quod noluit aliis sacrificiis coli præter illa, quæ tam in veteri, quam in noua lege per semet instituit: censetur, non solum vetera vetare, sed etiam auferre talibus populis facultatem, seu potestatem aliud sacrificium instituendi: Ergo nullus vnquam alterutri legi subiectus potuit, aut potest aliquod verum sacrificium instituere. Ita Suar. *d. 73. sect. 3. Coninch 9. 83. n. 14. Less. lib. 2. c. 38. n. 27. & alij.*

179
Hæc probabitur per se.

Licet sacrificium non requirat essentialiter diuinam institutionem, at requirit institutionem legitimam, nimirum à legitima potestate factam. Hanc autem potestatem potest Deus hominibus auferre, ac reservare sibi, cum sit supremus Dominus; & crediderim ita de facto reservasse. Quapropter homines nec legitime, nec per consequens valide possunt sacrificia instituere post illam reservationem soli Deo factam. Abnegantem autem sacrificia diis falsis oblata fuisse vera, quia oblatio essentialis sacrificio debet vero Deo fieri; quia si cui alteri fiat, magis est sacrilegium, quam sacrificium.

PROBL. II.

Ad essentiam sacrificij requiritur, & non requiritur signum & minister auctoritate publica constitutus.

NON requiritur publica auctoritas, sed sufficit priuata ad verum & proprium sacrificium instituendum. Quia sacrificium est de iure naturæ, sicut adoratio diuini Numinis, & alij Religionis actus. Ergo sicut potest quilibet auctoritate priuata designare sibi signum aliquod exhibendi Deo cultum latræ, videlicet genuflexionem, dimissionem capitis, vel aliquid simile: sic poterit (seclusa prohibitione) præscribere sibi signum illius oblationis, per quam sacrificium constituitur, ac subinde priuatum sacrificare, præsertim si solitarie degat. Vnde fit, nec requiri ministerum peculiariter deputatum auctoritate publica; sed singulos sacrificare valide posse; quia naturaliter habent ius sacrificandi; & id licet præstarent, seclusa prohibitione, sicut licet sacrificarunt in lege Naturæ Abel & Cain: nec apparet, illa sacrificia fuisse publica auctoritate instituta. Sic Vasq. *diff. 220. num. 19. Martinon d. 38. num. 12.*

Ad sacrificij essentiam requiritur signum, & minister publica constitutus auctoritate. Quia sacrificium propriè sumptum significat publicum, ac commune Dei cultum nomine populi totius oblatum; sicut enim hominum natura postulat, vt in vnum politicum corpus Reipublicæ congregentur, etiam exigit, vt hoc corpus politicum potissimum ad Dei cultum ordinetur, & Deum communi protestetur nomine supremum Authorem & Dominum esse, per sacrificium scilicet institutum publica auctoritate. Erga sacrificium essentialiter exigit signum toti Populo commune politicum, quod subinde non potest auctoritate imponi priuata: sicut nec voces, quæ pertinent ad commune commercium humanum imponi possunt ad significandum priuata auctoritate. Hinc rectè colligitur, essentialiter requiri ministerium auctoritate publica deputatum ac propriam, ac veram sacrificij rationem: sicut non oportet, aliquem esse cultum externum, quo non tam singuli seorsim, quam tota Respublica simul velut vnum corpus politicum imbutum eadem religione Deum veneretur, eiusque summum Principatum, & suam subiectionem profiteantur: sic etiam oportet, vt sint aliquæ personæ publico nomine destinatae tali ministerio, quæ Sacerdotes dicuntur. Ita Suar. *distinct. 73. sect. 4. Coninch quest. 83. numero 11. & 19. Less. lib. 2. cap. 38. num. 11. & 12. Card. de Lugo diff. 19. num. 11. & 12.*

Scio quidem, sacrificium esse de iure naturæ, quatenus naturalis dictamine rationis ducimur, Hanc eligo ad assumenda signa congrua sacrificijs: sicut mentem naturæ.

Sectio II. De Misa, Problemata. 113

naturae lumine ad voces instituendas mouemur, quibus in humano commercio nostros conceptus exprimamus; veraque tamen institutionem fieri debere auctoritate publica, constanter affirmo. Quare si quis degeret solitarius in Syluis, licet vi posset aliquibus signis submissionis erga Deum, scilicet genuflexione, demissione capitis, & similibus, quae naturaliter, vel quasi naturaliter significant summisionem internam: non verò posset offerre verum ac proprium sacrificium; quia non posset instituere signum congruum sacrificij propriè dicti: sicut nec posset instituere voces, quae proprium idioma commune simpliciter constituerent.

PROBL. III.

In omni Sacrificio proprio danda est, & danda non est destructio aliqua rei oblatae.

183 **M**ateriale sacrificium duo complecti innuimus, rem scilicet, quae offertur Deo, & actionem, per quam offertur. Res quidem permanens esse debet, quae per sacram aliquam immutationem diuinum transferatur in cultum. Actio proinde debet esse aliquo modo consecrata, quae propriè vocatur sacrificium, id est, factio facti licet aequiuocè etiam ad rem oblata extendatur. Quaesitum itaque, qualis immutatio requiratur ad sacrificij essentiam?

184 **S**ufficit sacra immutatio, quae res physicè nec producat, nec destruat: sed vel attollatur ad proteclandam eminentiam Dei super alias, vel aliter immutetur ad Dei laudem. Quia *Leuit. 23.* panes primitiarum, & duo agni sacrificari dicuntur: & tamen solum eleuabantur à Sacerdote, posteaque eiusdem cedebant in usum. Et in sacrificio Melchisedech, nulla dicitur immutatio physica seu destructio facta fuisse. Sic *Suar. d. 73. sect. 5.* & multi apud Martinon *rem. 4. disp. 38. sect. 1.* ex recentioribus.

185 **I**n omni sacrificio proprio danda est destructio aliqua rei oblatae. Quia licet ex naturâ rei nulla sit actio, quae per se ferat significationem sacrificij necessariâ, sed libera voluntate instituentis imponenda erit: quaedam tamen sunt aliis ad hanc significationem aptiores: sicut in Sacramentis etiam Theologi profitentur: sed per sacrificium colimus Deum ut Authorem & conseruatorem rerum omnium: & consequenter profitemur, illum esse, dignum, ut in eius honorem vita nostra consumatur. Ergo requiritur actio rem oblata aliquo modo destruens, per quam explicemus nostrae destructionis affectum, si licet, vel conducere ad Dei cultum. Ita Bellarm. *lib. 3. de sacrific. cap. 2.* Henric. Victor. Alan. quos sequitur Malderus *2. 2. titul. 10. cap. 3. de sacrific. disp. 1.* Cardin. de Lugo *d. 19. n. 7.* Martin. *sup. 4. d. 38. n. 6.*

186 **P**rofectò nullum crediderim fuisse verum sacrificium sine verâ destructione rei sacrificatae saltem quoad partem ipsius: ubi verò nihil destruebatur, oblationem quidem fuisse, sed non sacrificium existimo. Quare vero similis est, panes propositionis non fuisse sacrificatos, sed oblatos. Decimae patiter, & primitiae non erant

sacrificia, nisi quando manipuli aliqui cremabantur. Duoque agni illi post necem, Sacerdotis cedebant in usum, & ideo sacrificabantur. *Lege Azor. tom. 1. lib. 10. c. 17. q. 2. & 3.* & Card. de Lugo *d. 19. n. 9.*

PROBL. IV.

Datur, & non datur naturale sacrificandi praeceptum.

187 **D**e praecepto diuino positio satis constat ex lege veteri. Constat etiam externum Dei cultum esse iure naturali praeceptum, ut ostendit D. Thom. *2. 2. q. 85. art. 1.* Quia homo debet Deo, tanquam Auctori suo supremo non solum amorem, sed etiam honorem: & cum naturale sit homini mentem suam sensibilibus signis exprimere, tenetur etiam sensibili cultu Deum venerari, à quo non solam animam habet sed etiam corpus, & reliqua bona. Nec item est dubium, quin externum sacrificium sit satis ad hanc implendam obligationem, accommodatum. Solum ambigitur, num hoc sacrificium sit iure naturali praeceptum?

188 **E**st quidem praeceptum iure naturali. Quia sicut ratio naturalis dicitur, totum esse nostrum à Deo fuisse receptum, & ab eodem iugiter conseruari: sic eadem praescribit, debere nos exhibere sensibilem sacrificij protestationem in signum nostrae submissionis ad diuinam potestatem, à qua totum esse nostrum procedit, & pendet. Sic Henric. *1. 9. c. 5. n. 2.* Praeposit. *3. p. q. 83. art. 1. dub. 1.* Clemens *lib. 6. constit. c. 20.* Cassian. *collat. 8. c. 23.* dicens, antiquos Patres naturali lege monitos sacrificasse.

189 **N**on est iure naturali praeceptum. Quia licet actus sacrificandi sit rationi naturali conformis, & sufficiens ad complendam Dei colendi obligationem exterius: sunt adhuc alij actus Religionis externi sufficientes etiam huic muneri, nimirum adoratio laetiae, laus Dei, gratiarum actio vocalis, & similes: nec apparet naturale dictamen determinatè praescribens oblationem sacrificij prorsus esse necessariam ad morum honestatem. Ita Suar. *d. 73. sect. 8.* Lessi. *1. 2. c. 38. n. 28.* Fauet Anaclel. Papa *epist. 2.* dicens, antiquos Patres spontanea voluntate sacrificium obtulisse.

190 **V**tramque sententiam probabilem reor, illud verò certum existimo, rationem naturalem dicere, valde consentaneum esse naturae humanae proprium sacrificium offerre Deo nostro; nec amplius forsan Patres adducti pro primâ sententiâ contendunt.

PROBL. V.

Christus Dominus in Cruce actiue concurrit, & actiue non concurrit ad suam mortem, unde videtur obtulisse, & non obtulisse verum, ex destructione praefata sacrificium.

191 **E**x doctrinâ Problemate 3. tradita difficultas excitatur: Quomodo sacrificium Crucis fuerit

tionem exhibet.

fuerit verum ac proprium, si verum sacrificium requirit realem hostiam destructionem à Sacerdote factam: sed in Cruce Dominus fuit Sacerdos & victima simul, & tamen non semetipsum interemit: Ergo non destruxit realiter victimam, & per consequens non obtulit verum ac proprium sacrificium.

192 Profectò verum obtulit ex destructione sacrificium. Quia actiue concurrat ad suam mortem actione sensibili, quando, inclinato capite sensibilibiter in signum subiectionis, tradidit spiritum Ioan. 19. cum voce magna Luc. 23. cum lacrymis, & clamore valido Hebr. 5. quasi tradiderit propria vi spiritum, & non solum permittendo, ut per tormenta sibi tolleretur. Sic Martinon tom. 4. d. 38. n. 25. Gabr. l. 82. in Canon. lit. D. S. Thom. 3. p. 9. art. 1. ad 2. Et Ioan. 10. Dominus profatur: Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Quasi dicat: Tormenta, & tortores animam mihi non auferent: Sed ego pono nam à me ipso eo modo, quo tolleret alius illam à me, si posset: actiue nimirum in Dei cultum impendendo vi propria vitam meam.

193 Verum obtulit ex destructione sacrificium. Quia licet actiue non concurret Christus, miraculose conseruauit vitam, ultra quam posset naturaliter conseruari, posteaque voluntarie cessit tormentis, ut ex ipsorum vi moreretur. Mat. 26. Tristis est anima mea usque ad mortem. Vbi Caiet. & alij censent illam tristitiam fuisse sufficientem ad extinguendam vitam, nisi diuinitus impediretur, & usque ad mortem perducente. Diuinitus ergo Christus vitam retinuit, donec sponte sua cessit tormentis, & quando voluit emit spiritum. Ita D. Thom. quodlib. 1. articulo 3. Euseb. lib. 4. de demonstratione capite 12.

194 Ego quidem existimo, Christum Dominum obtulisse, quando tormenta & vulnera naturaliter potuerunt causare mortem ipsius, inducta nimirum tali dispositione, cum qua non poterat anima naturaliter corpus informare. Quia praedicens Christus mortem suam Mat. 17. & Luc. 18. dixit: Occident eum, scilicet Gentes. Non autem occidissent exterius, si verè mors non secuta fuit ex vi naturali cruciatuum, sed ex vi voluntatis Christi emittentis spiritum pro libito priusquam dispositio naturalis corporis postularer emitti: quo corruit prima sententia. Contra secundam verò probo: Quia illud miraculum retinendi vitam aliquandiu post inductionem sufficientes dispositiones mortis nec appareret necessarium, nec satis in scriptura fundatum. Ad dubitandi verò rationem respondeo, Christum Dominum etsi semetipsum directe non occideret, sed vi naturali tormentorum obierit, verè tamen fuisse causam indirectam, & voluntariam suae mortis, quatenus in eius erat voluntate vitare mortem, si veller, & tamen spontè corpus suum cruciatibus obiecit, & tandiu tormenta sustinuit, donec naturaliter necem inferrent. Hoc enim satis est, ut talis mors sit libera Christo tanquam causae passim applicanti: nec qui thus admonet igni verè dicitur causa iustus, quem ignis naturaliter causet. At talis cauendi modus ad propriam sacrificij rationem omnino est sufficiens, ut aperte constet in holo-caustis.



CAPVT XVI.

Circa nouae legis sacrificium.

PROBL. VI.

Consecratio sola potest, & non potest essentialiter Missae sacrificium constituere.

195 **N**ON potest. Quia in Missa sacrificatur ipse Christus, qui fuit in Cruce oblatus, ut definit Trident. sess. 22. cap. 1. & 2. Christus non destruitur per consecrationem, sed potius producit: Ergo consecratio non potest esse signum aptum ad constituendum essentialiter Christi Domini sacrificium. Consequentiam probo: quia sacrificium debet esse signum nostrae submissionis erga Deum, quem profitemur esse dignum, ut in eius honorem vita nostra consumatur: ac subinde necessarium requirit actionem realiter rei sacrificatae destructionem. Sic Martin. de Ledesm. 1. 2. q. 23. art. 4. Henric. 1. 9. 8. n. 5. Fagund. praec. 1. 1. 3. cap. 4. num. 22. Fauet D. Thom. 3. part. questione 83. articulo 2. ad 2.

196 Potest quidem consecratio habere propriam sacrificij rationem. Quia licet in omni vero sacrificio requiritur realis rei sacrificatae immutatio; sed sufficit ut sit vel destructiua, vel productiua ipsius. Vnde in Missa consecratio habet propriam sacrificij rationem, nam per illam res ignobilior, nempe panis & vinum conuertitur in rem nobiliorem, nempe corpus, & sanguinem Christi, qui non existens antea Sacramentaliter sub his speciebus, ex vi consecrationis fit ibi de nouo praesens Sacramentaliter in honorem Dei, cuius supremam potestatem supra totum esse creatum illa Sacramentalis productio mirifice protestatur. Suar. d. 75. sect. 4. Lessi. l. 2. de Insti. c. 38. num. 14. & 15. Coninch. q. 83. num. 15. 16. Auerf. de Euch. q. 11. sect. 4.

197 Hanc sententiam admittit, sed probabiliori dicendi modo expendo, asserens, institui posse solam consecrationem in signum aptum, ad constituendum essentialiter Missae sacrificium: quia ad veram sacrificij rationem sufficit destructio rei sacrificatae realis humano modo, qua transferatur in statum decliuorem ad vsus naturales ineptum; sed Christus Dominus per consecrationem, etsi non destruitur substantialiter, destruitur tamen humano modo realiter, quatenus accipit statum decliuorem, quo redditur ineptus ad vsus naturales humani corporis, & aptus ad alios diuersos vsus per modum cibi; quare moraliter id est, ac si fieret verus panis, & condiretur in cibum, quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium instituendum, non minor quam effusio liquoris, quae Libaminis sacrificium constituit. Didici ex Card. de Lugo d. 19. sect. 5. & ex Martinon d. 38. n. 43. & 63.

PRO